

BUCHHANDLUNG
ANTIQUARIAT
AUCTIONSINSTITUT

Herr
Die

138, Linienstrasse (nahe bei der Friedrichsstrasse),
BERLIN, den 4. 5. 1873

*Wm. Franz Toldy, Profest der
renomm. Biblioth.
erhalten von R. L. PRAGER in Berlin auf Verlangen.*

	Kat. VII			
417.	Warioris elegia in d'cimus Prolo. Murray edit. ^{famoo} am'g' spuren, in Nachahmung myt'ost' wiss' g'staltet	2156		



E L E G I A,

SCRIPTA AD EXIMIVM
D. Franciscum, I. V. Doctorem, ac Vica-
rium Ecclesie Albensis in Transyluania,
necnon Ecclesie Musnarum, Dominum
& Mecœnatem suum semper colendum,
a Francisco Davidis Colosuarino.

Cui præposita est Epistola eiusdem ad in-
signem pietate & eruditione virum,
Casparum Pesthinum, Consilia-
ritum ac Protonotarium Locum-
tenantis Regiae Maiestatis
in Vngaria.

1550

222



IN SIGNI PIETATE ET DOCTRINA PRÆ-
dito uiro, Gaspari Pesthino, Consiliario ac Protonotario Lo-
cumentenit Regiae Maiestatis in Hungaria, S. D.

Cum sciam te, uir humanissime; inde ab initio semper fuisse
studiosum ueræ religionis & concordiæ Ecclesiarum in
Transyluania, non dubito, quin nunc in tantis ærumnis Ecclesiæ
semper doleas et ingemiscas. Etsi uero uides non esse humani
consilij auertere hæc tanta mala, tamen te consolaris exemplis,
que in sacris literis ostendunt Deo curæ semper fuisse Eccle-
siam. Et reuera ingentis misericordiæ Dei est, & conseruantur
reliquæ Ecclesiæ in his tantis ruinis imperiorum & politiarum.
Hic enim præbet suæ Ecclesiæ aliqua Halcyonia, ut in medijs tem-
pestatibus possit propagari uerbum Dei & Sacra menta recte
administrari. Ac profecto digni sunt iij, ut evitentur tanquam pe-
stes generis humani, qui hanc magnam & ineffabilem Dei bo-
nitatem non agnoscunt, nec Deum inuocant, nec petunt mitigationem
harum calamitatum, sed putant omnia ista casu fieri.
Nos uero in Ecclesia scimus illud Salomonis uerum esse: Cor Re-
gis in manu Dei est. Hic enim reprimit furores & tyrannidem
Turcicam, ne penitus extirpentur reliquæ Ecclesiarum. Decet
itaq; nos hanc summam bonitatem Dei admirari, & illi gratias
agere pro his tantis beneficijs, ne Deus propter nostram ingrati-
tudinem uerbum suum à nobis afferat, detq; illud genti facienti
fructum suum.

Tu uero, uir humanissime, cum semper tua opera profueris
ijs, qui dediti sunt doctrina Ecclesiæ Dei, precor, ut & me unum
ex eorum numero agnoscas, ac mea studia, quantum in te est,
apud Meœcenatem meum promoueras.

Quod reliquum est, Precor Deum eternum, Patrem Domini
nostrí Iesu Christi, qui factus est pro nobis ἵκετης κοιλιαστής,
ut semper sibi colligat Ecclesiam in his regionibus,
quæ eum uere inuocet & celebret.

Franciscus Davidis Colosuarinus tibi addictiss.

ELEGIA SCRIPTA AD EXI-
mum D. Franciscum I. V. Doctorem, ac Vi-
carium Ecclesiæ Albensis in Transyluania,
necnon Pastorem Ecclesiæ Musnarum,
Dominum & Mœcenatem suum sem-
per colendum.

Littera, quam cernis, gelidis aduenit ab oris,
Albis ubi niuei moenia montis adit.
Illa tibi placidam fert uoce precante salutem,
Qua nihil in uita dulcius esse potest.
Non tibi dona damus gemmis auroq; referta,
Purpura nec Tyrio murice tincta uenit.
Ista dabunt latè qui subdita regna gubernant,
Regia queis magnas sors cumulauit opes.
Pectore nos humili Musnarum sacra securi,
Possumus ingenij munera sola dare.
Ah quoties uolui numeroso carmine facta,
Quæ geris ob patriam, ritè referre, tuam.
Sed mihi difficiles ueniunt in uota camænæ.
Destituit uires dexter Apollo meas.
Diuitis ingenij est præstantia facta uirorum
In numeros digno condita ferre sono.
At mihi nec blando Nasonis tincta lepore
Carmina castalæ fonte bibuntur aquæ.
Nec mihi Moæonio fas est assurgere uersu,
Nec Latij grauitas alta Maronis inest.
Non gignit tales natura effœta Poëtas
Amplius, ad finem nam ruit illa suum.

A ij illis

Illis tuis celebrandus eras preconibus, illos
Addictos decuit laudibus esse tuis.
Sed quoque pars laudis tenuē nō spernere Musam,
In tenui nostrum carmine munus erit.
Hoc quoque, crede, tuis debetur laudibus, Heros,
Hic certet uates, hic quoque tyro nouus.
Ingenio quantum traleas, & fortibus ausis,
Villa ne pro meritis Musa referre queat?
Quid faciam cœptis igitur tam grādibus impar?
Auxilium Clio num qua uocata feret?
Ecce uoco, fer opem, causas cursusque laborum
Musa refer, quos hunc constat adisse uirum.
Quis putet indignā rabiem procerumque furores
Materiam saeuis applicuisse malis.
Causa mali fuerat laudum titulique cupido,
His facibus feruent in noua bella Duces.
Hi Regem adduci terra uoluere Tuifca,
Hos patrium iuuuit præposuisse genus.
Heu quō perduxit miseros discordia ciues
Ista serens, passim dum furibunda ruit.
Quid non laudis amor regnique insana cupidio
Efficit? heu quanti causa doloris erant?
Nil adeo est firmum, quod non euertere possint,
Si modo per longas conualuere moras.
Ciuiibus optatam tandem patriæque salutem
Hic tua dexteritas conspicienda tulit.
Teutonicum regem placasti bella minantem,
Foedera te passim constitue minas.
Talia dum peragis subito noua bella cientur,
Barbarus intrepido pectore miles adest.

Bellaque

Bellaque ut auertas precibus donisque uocatus,
Mitteris ad Geticum Sauromatumque Duce.
Et tua quid uirtus fandoque peritia rebus
Profuerit dubijs, exitus ipse probat.
Atque utinam interea patriæ dum iussa capessis,
Verbaque facundo candida ab ore fluunt,
Coram Nestoreis pauiissim uocibus aures,
Has uellem numeris inseruisse meis.
Scilicet ut pluvijs atroque & turbine uenti
Omnia luctantes uertere uasta uolunt.
Et nullæ uires illis obliuiscere possunt,
Ni cedant radijs lucide Phæbe tuis.
Sic tua dum patriam certat defendere lingua,
Funestam potuit sola fugare luem.
Vel potius Deus & successus numinatantos,
O heros, cœptis attribuere tuis.
Ille pios coetus per mille pericula raptos
Impositos humeris, ceu facit esse tuis.
Hos ut præsidio foueas tibi tanta ministrat
Robora, successus datque referre bonos.
Ergo sicut ouem fido à pastore reduci
Conuenit, amissam quam uagus error agit,
Sic tibi commissos placida pietate tueris,
Possit ut ex illo nemo perire grege.
Iā quoque cū rabies populos noua concitet omnes,
Et multi passim bella nefanda parent,
Da requiem, da grata tuis solatia Christe,
Ut celebrent nomen laude perenne tuum.
Te moueat gemitus quos pectore ducimus, imo,
In laudes petimus qui superesse tuas.

A iii Non secus.

Non sicut ut quondam miseriis tuis ille pepercit
Angelus, in causa qui gemuere pari.
Non opis est nostrae diram depellere pestem,
Assere uictori colla premenda iugo.
Tu quoq; prospiciens tantos uir magne tumultus,
Fata scio poscis mitiget ista Deus.
Votaq; pro patriæ uersans curasq; salute,
Ingrederis factis pristina facta nouis.
Quare age perge decus patriæ, perge inclita fama.
Nomina cœlestes tollere adusq; domos.
Et quos commisit tibi sors diuina clientes,
Præsidio fœlix perge fouere tuo,
Quos inter cuius studijs clementior adsis,
Me quoq; conserues anumeresq; precor.
Pro quibus officijs meritas tibi reddere grates
Cum nequeam, toto pectore gratus ero.
Pluribus oranti bonitas tua magna Patrona,
Obstigit, & tacitum spe iubet esse bona.
Adiuti te saepe inopes sensere benignum,
Pauperibus semper ianua laxa tua est.
Deniq; te natum multorum credo saluti,
Sic agis officijs optima quæq; tuis.
Tu potes ingentes fando componere causas,
Eloquio cedunt omnia uicta tuo.
Tu flagras idem casto pietatis amore.
Tu facis ut constet religionis honos.
An non eximium decus est aliuisse ministros,
Qui doceant summi dogmata sancta Dei.
Nil adeo magnum est, quo non præstantior iste
Cultus erit, modo sis in statione tenax.

Sunt

Sunt mihi præterea laudis præconia multa,
Quæ de te merito nostra Thaleia canat.
Sed tenues rerum succumbunt pondere uires.
Materia hæc uenæ est uberioris opus.
Iamq; meus cum sole calor perit atq; sacratas
Aônidum sedes spiritus ille fugit.
Ergo ego cōmendans tibi me, uir magne, cliētem,
Iam præcor, ut uiuas in mea uota diu.
Te Pater omnipotens tantis uirtutibus auctum
Seruet in hoc cursu præsidioq; tegat.
Florentemq; opibus faciat studioq; iuuandi.
Auxiliatrices semper habere mauis.

F I N I S.

